

ORATIO 3 HABITA

AD

publicam Scholarum instaurationem;

A R. D.

FRANCISCO CHICOYNEAU ;
Regis Consiliario & Medico , nec
non in almâ Monspeliensium Me-
dicorum Academiaâ Professore Re-
gio , Anatomico , Botanico , Can-
cellario & Judice, Patris Coadjuto-
re , die 26. Octobris anni 1723.



MONSPELII,
Apud VIDUAM HONORATI PECH,
Regis , Universitatis, Cleri & Urbis
Typographi.

M. DCC. XXIV.

ORVILLE
HARRIS

Princeton School of Theology
Princeton, N. J.

FRANCISCO, CALIFORNIA
The Board of Trustees of the
University of California
Berkeley, California
Dear Sir:

I have the honor to acknowledge
the receipt of your letter of the
10th inst.

Yours very truly,
M. D. C. XXIV.



STUDIOSIS
ALMÆ MONSPELIENSIIUM
MEDICORUM
UNIVERSITATIS!

Solemne Orationem ad publicam
hujus Lycei Monspeliensis instau-
rationem, ex decreto Senatus ja-
trici, nuper à nobis habitam, & uti-
litatis vestræ causa, Alumni charissimi,
pro modulo concinnatam, suasu, ductuq;
Patris Colendissimi, publici juris facere,
& vobis offerre minimè dubitari.


Siquidem in ea, gravissima quedam
A ij

& parum hucusque prævisa, vestri pro-
 gressus in Studiis impedimenta, simul
 & auxilia certa, tutaq; quorum spe
 possint amoveri, traduntur ingenuè, &
 perspicuè proponuntur.

In hoc autem opere contexendo, ser-
 monis elegantia parum studuimus, altè
 persuasi documentorum in eo traditorum
 veritatem, verborum lenocinis nequaquam
 indigere, quin potius summam quæ huic
 eidem veritati sicuti decet exploranda,
 debetur attentionem, dictionis ornatu
 minui, seu averti posse censuimus.

Vos igitur, ô Alumni, iterum atque
 iterum obtestor, ut in hujus opusculi
 lectione, non tam ad eloquii concinni-
 tatem, quàm ad rerum pondus & uti-
 litatem attendatis, & mox si præcep-

torum veritas, vobis (uti confidimus) affulserit, eam non inerti laudatione, sed experiundo, probare nitamini. Sic etenim ad supremum scientiæ culmen pervenire, corporis animiq; perfectâ sanitate potiri, demùm & ultimam senectutem ab omni penitus ægritudine, imò, vel ab ipsamet ægritudinum formidine, liberi prorsus & immunes attingere licebit. Secus autem, (quod avertat supremum numen) si tradita documenta despicatis aut negligatis, hunc contemptum, hanc inertiam, multiplex ærumnarum genus, ævi summa brevitatis, artis imperitia cuilibet ingenuo summoperè pudenda, & perinde, heu! nimis acerba, seraque pœnitentia consequentur.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31971957>



ORATIO.



QUOD hâc in atate,
 nondùm probè maturâ,
 coram Viris, omni scien-
 tiarum, & virtutum ge-
 nere clarissimis, pulpi-
 tum hoc apollinare, ipsis etiam se-
 nioribus in arte Magistris, veren-
 dum, audeam conscendere; eaque
 præsertim in solemni die, quâ facun-
 diæ, suadæque vires omnes adhiberi
 decet, ut hujus Academiæ Studio-
 si, seu Alumni nostri charissimi,
 ad laborem annum alacriter in-
 choandum, aut renovandum, &
 constanter ad præstitutos usque
 limites sustinendum, valeant in-

citari ; simul & iisdem indigitetur
 via , cujus ope tutius , & facilius op-
 tatam obtinere Lauream , imò & ad
 summum artis apicem possint per-
 venire ; Quod inquam arduum adeò
 cœptum exequi tentem ; dum ipse-
 met adhucdum ductore , & sti-
 mulo non parùm indigeo , nec te-
 meritati , nec arrogantiaë , seu ni-
 miæ virium mearum fiduciaë tribua-
 tis , quæso , Auditores ornatissimi,
 cum fat superque propriaë sim conf-
 cius imbecillitatis , probeque nove-
 rim juxtà vulgatum adagium , quid
 valeant humeri , quid ferre recusent,
 illudque præclarum munus , quo me
 regia beneficentia decoravit , non
 tam virtutis , & doctrinaë , quàm san-
 guinis , seu meriti majorum , pater-
 nique laboris præmium esse ; cui qui-
 dem uti par est promerendo , vix
 longius ævum , quanto minus ætas
 adhuc immatura , sufficere queat .

Ergo nec inanis confidentiæ, seu dementissimæ temeritatis impulsu, ad orandum accedo, sed ut obsequar legibus consuetudinis, seu ut morem geram, huic æquissimo majorum instituto, quo sancitum est, eum qui postremus, in numerum Patrum Academicorum fuit cooptatus, solemnem hanc Orationem habendi, præclaro simul & laborioso munere defungi; non ideò, quod hoc honore dignior habeatur, sed quoniam rationis, & æquitatis legibus convenit, novitium Athletam exerceri, labori assuescere, & primævos annos omnibus exercitationibus Academicis, diligenter impendere, ut usu, consuetudine, & studio, necessarium ad dicendum, & ad docendum eloquii, doctrinæque penum comparare valeat. Nam, ut eloquitur Tullius, Oratorum facile princeps, nec Medici, nec Oratores, quamvis artis

præcepta perceperint ; quidquam
 magnâ laude dignum , sine usu, &
 exercitatione consequi possunt ; & ex
 adverso, jus idem æquitatis desiderat,
 Patres Academicos , jam tot labo-
 ribus, & vigiliis exercitos, & ad sum-
 mum artis gradum evedtos , novitio-
 rum operis sublevari ; eorundemque
 virtutis & laboris veluti iudices, &
 arbitros consistere ; nec à curandâ
 mortalium salute, seu à morbis de-
 bellandis orationum conficiendarum,
 & recitandarum studiis avocari. De-
 mùm & interest utilitatis publicæ,
 notum fieri singulis, & universis,
 an novitius Collega dotes requisitas,
 ad munus regiâ liberalitate conces-
 sum, uti decet, implendum, & cum
 laude sustinendum possideat, vel sit
 aliquando possessurus ; Quod sanè
 postremum, non parùm me movit,
 terruitq; cogitantem, quantum adhuc
 absim, ab acquisitione virtutis, &

scientiæ, quas arduum hoc requirit
 officium; sed animum, ob conside-
 rationem tenuitatis virium penè col-
 labentem, & contremiscentem ere-
 xit contemplatio domestici præsidii,
 Patrem intelligo colendissimum,
 quem æternâ veneratione & amore,
 numquam nisi cum luce perituro
 prosequar; qui non solùm animos,
 ad hoc munus confidenter obeundum
 addidit, sed & viam aperuit, cujus
 ope non inglorius, ex tanto discrimi-
 mine me possem expedire. Nec mi-
 nores mihi suggestistis spiritus, PA-
 TRES ACADEMICI, dum vos artis
 documenta, summâ cum eruditione,
 & facundiâ, mirâque cum humani-
 tate, privatim, & publicè panden-
 tes audivi, tantam habent vim ea,
 quæ ex ore vestro manant artis ora-
 cula, ut audientium animos poten-
 ter stimulent, & ad magni quidpiam
 moliendum impellant; &, ô me fe-

licem ! si eum quem ex vobis hausi spiritum, reddam illibatum, sicque me tam illustri consortio non indignum aliquando præbeam.

Tot igitur, & adeò potentibus stimulis incitatus, statim non mediocriter sollicitus fui, de seligendâ materie quæ vobis prodesse, ô Alumni ! & vestram attentionem, A. O. posset promereri; nimirum seriò considerans, Patres Academicos, toties studiosos, ex hoc suggestu, summâ cum curâ, & totis, ut ita dicam, eloquentiæ viribus, ad studium colendum impulisse, simul & ipsis iter facile, tutumq; aperuisse, per quod incedere debeant, ut desideratos faciant in arte progressus; non parùm, inquam, idcirco mihi fuit desudandum, ut novi quidpiam pertractarem, & in medium proferrem, donec hâc de re læpius cogitanti, tandem occurrit, me non infrequenter

à Parente colendissimo audivisse , inter varia progressus studiosorum impedimenta , nullum eos magis remorari , perversâ prorsûs opinione , & consequenter vehementi formidine , morbos , seu graves infirmitates , ex studiorum assiduitate contrahendi , simul & ultimum fatum labores inter , immature subeundi , perindeque in numerum ægrotantium imaginariè , seu melancholicorum referri posse ; cujus quidem effati sensum , cum iterum , atque iterum attentâ menteniter introspicere , ejusdemque rationes , Parens Colend. multoties aperire mihi non esset dedignatus , demùm & in memetipsum seriò descendens , illius veritatem & certitudinem detexissem , novam , peramplam non minus , ac utilem materiam ad dicendum suppetere credidi , si nimirum exponerem in primis , & demonstrarem , magnam

alumnorum partem, ideò parum in studiis proficere, seu id idcirco laborem averfari, quod præconceptâ, falsâque morbi & mortis imminentis opinione laboret; seu quod laboribus, & studiis, ægritudines, lethumque provocari, corpus miserè labefactari, vitæque spatium contrahi insulse prorsus arbitretur; deinde verò genuinas, hujus tùm præjudicii, tùm formidinis causas, tandem, & remedia ad hæc abigenda, corrigendaque aptissima aperirem. Illud itaque propositum, dum paucis, & illæsâ ut spero, patientiâ vestrâ conabimur exequi, Auditores omnium ordinum spectatissimi, attendite, precor, & favete.

IN primis ergò dicimus, permultos hujus artis apollinaris, sicut aliarum scientiarum Alumnos, ideò parum in studiis proficere, seu laborem, ad progressum in arte fa-

ciendum necessarium averfari, & ex adverso voluptates, & otia consecrari, quod morbi, mortisque formidine capiantur, sive quod laborem sanitati, vitæque prorsùs infensum existiment, ideòque in numerum melancholicorum ægrotantium imaginariè jure referendos.

Quod quidem propositum, primâ fronte plurimis haud dubiè paradoxum, idest non solùm à veritate, sed & ab omni verissimilitudine prorsùs alienum videbitur; studiosos nimirum, in ætatis, ut ita dicam, flore constitutos, viribus, & sanitate pollentes, summâque cum cupiditate, voluptatibus inhiantes, risus materiam ubique quærere, vicissimque præbere solitos, assiduæ meditationis incapaces, melancholicorum irrisores, facetiarum, festivitatum ingeniosos fabros, & architectos, sic ut tristitiæ, & morositati, bellum im-

mortale videantur indixisse, qui denique per inconsultæ fiduciæ, ac securitatis æstus, sic abripi se patiuntur, ut credere videantur se nec morbo, nec fortunæ obnoxios esse; Quid inquam, non dicam, à vero, sed & vel à minimâ veri specie magis remotum, quam ut ii sint ægrotantes imaginarii, imò vel levi quodam ægritudinis, aut mortis metu laborent, vel aliquatenus in melancholiam sint proclives.

Sed si judicia vestra, tantisper cohibere non recusetis, Aud. Om. & hujusce vivendi, agendique rationis, quam pars magna Studiosorum eligit, sequiturvè, causas genuinas nobiscum indagare, & introspicere non dedignemini; Propositi nostri, non modò verissimilitudinem, sed & veritatem, in evidentem lucem se daturam haud immeritò confidimus.

Enim

Enim verò, eam potissimum ob causam, meo quidem iudicio, juvenes & adolescentes, artibus, & scientiis colendis destinati, vitam ad memoratam normam dirigunt, quod laborem, meditationem, & studia vehementer averfentur. Sed unde nam! quæso, fit, ut ab iis meditationibus, & studiis tantopere sint averfi, nisi propter angores, seu animi cruciatus, quibus inter meditandum, & studendum torqueri se sentiunt, vel ut apertius, & juxta principia Phisicæ loquamur, quoniam in eo contentionis statu, à sanguine, & spiritibus in cerebro retentis, ejusdem interiora moleste commoventur, seu graviter, & cum quodam doloris sensu percelluntur, sed anima molestas hæc sensationes assiduo pati nequit, quin morborum, & mortis idæ statim recurrant, nec hujusmodi idæ recurrere, quin mo-

rositas , tristitia , metus , & terror mentem invadant ; perindeque causarum , idest laboris , & meditationis , à quibus hujusmodi succussus oriuntur , odium excuscent , fugamque suadeant ; ergò planum fit & apertum , studiosos , eam præsertim ob rationem , studia , & labores averfari ; quod ægritudines , & mortem reformident , & consequenter in numerum ægrotantium imaginariè , jure non injuriâ referendos.

Nec etenim , ut quisquam ægrotans imaginarius habeatur , necessum est , eum assiduo de ægritudine conqueri , vel gravem mortis , veluti propinquæ formidinem prodere , licet sanus sit , seu omnia sanorum munia probè peragat ; sed sufficit , ut ex ejus agendi modo , certò possit inferri ipsum , præter omnem rationem , ægritudines , lethumque for-

midare , causasque sanitatis , & vi-
rium , tanquam morborum , & in-
teritus fontes respicere ; e quarum
causarum numero , cum sint labores
& studia quibus (ut infrà probaturi
sumus) tantum abest , ut vires ,
& sanitas labefactentur , quin potius
firmantur , eaque tamen vulgus stu-
diosorum impensè metuat , ægrotan-
tes imaginarios , idcirco censendos ,
vocandosque statuimus.

Sed , & ipsis haud injustè nomen
illud imponi probant , non modo
superius , adducta rationum momen-
ta , verùm & ipsamet plurimorum
confessio , qui , si sermo de indole
melancholicâ habeatur , risus inter ,
& pocula , ludicra colloquia , vel
hoc eodem instanti , quo verâ
videntur perfundi lætitiâ , se tamen
vel melancholicos , vel in melan-
choliâ propensos ingenuè faten-
tur ; ita ut , si quispiam horum , qui

tempus in ludis, computationibus, & in confabulando consumunt, interrogetur, cur illud vitæ genus confectetur, audies, haud cunctanter respondentem, hanc agendi normam ideò se selegisse, quo curas, mœrores & anxietates, ex studio subnascentes vitare queat, seu ut interiores cerebri succussus, capitis dolores, gravedines, fastidia, nauseas, aliaque sexcenta malorum genera, ex labore, & contentione mentis oriunda valeat effugere.

Dices haud dubiè confidenter, hæc omnia non sine gravi fundamento metui, ideoque præter rationem studiosos ægrotantes imaginarios nuncupari, si dum animos ad disciplinarum, & scientiarum culturam attendunt, prædictas malorum species, nimirum, angores, & cruciatus verè sentiant: cum hæc eadem inter legitimas ægritudines re-

censeri debeat, & interdum ob contumaciam, & vehementiam pertina-ces, metuendasque læsiones inferant.

At quicumque sic ratiocinantur, naturæ leges, ad servandum, roborandumque corpus à supremo rerum Conditore stabilitas, simul & veras ægritudinum causas (sic venia dicto) prorsùs ignorant; Nec etenim intelligunt hujasmodi succussibus, & anxietatibus, cuncta cerebri vasa referari, ejusdemque staminum elaterem firmari, nisi fortassis angores ad certum usque vehementiæ gradum pervenerint.

Ità sanè se res habet, Alumni Charissimi, cerebrum, & consequenter anima, labore, studio, meditatione, perindèque succussibus, curis, molestiis firmantur, & robotantur, juxta decantatum illud æternæ Veritatis adagium, vexatio dat intellectum, cerebrum enim instar aliarum par-

rium, ex infinitis canaliculis, & fibris elasticis constat, quæ debita munia nequeunt exercere, nisi referentur, evolvantur, vibranturque: Ast eadem nec referari, nec evolvi, nec vibrari valent, nisi à fluidis apellentibus, & certo quodam cum impetu motis, perindeque succutientibus, & ideò quemdam molestiæ sensum parientibus; itaut quo vasa futura sunt liberiora, & stamina ad vibrationes suscipiendas aptiora, eò firmiores, & validiores omnes elatere, & consequenter eò major animi vigor, verbo vegetiùs, & acutiùs ingenium sint evaluura.

Undenam enim, tot virorum in omni genere scientiarum, & virtutum illustrium, hæc animi magnitudo, quâ nomen sibi fecerunt immortale, deducenda venit, nisi ex validitate, flexibilitate, verbo ad omnes motus suscipiendos, & vividiores

impetus perferendos, cerebri fibrarum aptitudine, quorum ratione, tum imaginatio, tum memoria, tum iudicium, munia sua vegetius, & constantius obire valent. Illud autem eximium elateris robur, ex alio fonte repeti nequit, quam ex magnitudine, assiduitate, & diuturnitate laborum, perindeque ex validis, repetitisque vasorum, & staminum succussibus, qui eorundem aditus omnes, & insensiles meatus referarunt, undè fluidorum, & præsertim auræ spirituosæ faciles ingressus, itus, reditusque liberi, sicque cerebri vires, & ejusdem omnigena, miraque flexilitas repetenda sunt.

Denique crebris, iteratisque laboribus, & exercitiis, & idcirco molestis fibrarum vibrationibus, non modo referantur, & ampliantur omnes cerebri semitæ, verùm etiam hujus staminibus, hæc ad validum

elaterem exercendum aptitudo conciliatur, cujus ratione, particulæ fluidorum apellentium sic digeruntur, & attenuantur, ut hæc eadem fluida vividorum, & elasticorum spirituum amplissimas copias, solidarum partium viribus excitandis mirè prorsus idoneas, suggerant, & hinc non una tantum, sed multiplex elicitur ex labore, roboris, & acuminis ingenii causa.

Quæ quidem, ut in evidentiores lucem proferantur, exemplum familiare, & ad omnium ingeniorum sphæram accommodatum, in medium adducere juvat; cum idem hæc in parte de cerebro, quoad laborem, seu studia, & meditationes, & consequenter succussus, & angores subsequentes dicendum sit, quod de pede, tibiâ, crure, brachio, manu, aliisque partibus motui voluntario subjectis; quotidiana probat experien-

tia ; quæ nimirum ab exercitiis re-
 petitis , utut , inter initia molestis ,
 imò quoque doloris sensum non le-
 vem excitantibus , mirè prorsus ro-
 borantur , & quò sæpiùs exercentur ,
 eò validiora fiunt , majoremque fle-
 xilitatem in dies adipiscuntur ; ita ut
 exercitationis consuetudine , ad om-
 nia genera motuum evadant habilia ;
 nec idcirco morbo laborare , seu ul-
 lius infirmitatis periculum incurrere
 metuitur , quod inter primos exer-
 citiorum conatus , graves quædam
 molestiæ , vel dolores persentiantur ,
 haud absimili quoque ritu , cerebrum
 ejusdemque cuncta stamina , quam-
 vis in studiorum primordiis molestè
 concutiantur , non ideò debilitantur ,
 aut quâdam afficiuntur ægitudine ,
 sed ex adverso firmantur , amplian-
 tur , & ad omnes facultates principes
 exercendas , fiunt aptissima .

Jam verò , si quidam , ex iis ,

qui recenter hygeæ sacris sunt initiati, scire desiderent, cur tot inter molestias, & angores ex labore subnascentes morbi non contrahantur, illud sanè nequit adscribi, nisi summæ flexilitati fibrarum cerebri, cujus ratione fit, ut ad certum usque gradum absque ruptionis periculo flecti possint, & extendi, modo causæ moventes non sint naturæ viribus superiores, & necessarium, ad robur nativum resumendum, post laborem otium concedatur.

Nec etenim inficiamur, fibrarum motricium elateres, dum labor assiduus est, & vehemens, à liquidis exundantibus, potentiùs quam par sit, gravatos, aut acriùs stimulos opprimi, debilitari, vel dirumpi posse; verùm hæc, aliaque læsionum genera, non tam labori, & studio, quàm ingluviei, crapulæ, pravorum alimentorum usui, vel nativæ par-

tium infirmitati, tribuenda sunt; sed si labores, & studia, cum debitâ moderatione colantur, debitumque pariter in cibo, potuque, regimen servetur, nec vires infirmari, nec morbi provocari, nec ultima fata maturari, quinimò corporis, & animi robur, & sanitas enutrirî, promoveri, vitæque spatium ad præstitutos naturæ leges terminos extendi debent.

Sicque tandem, patet evidentissimè, quantum hallucinentur, vel ut apertius loquar, quam insulse metuant, ii qui statimatque caput, & cerebrum in studendi laboribus sibi potentiùs solito commoveri, & torqueri sentiunt, hæc eadem studia, veluti causas, aut præsagia morborum, & mortis considerant, formidant, & refugiunt; quæ tamen velut fontes, & omina roboris omnis, &

virtutis deberent respicere. & amplexari: sibi firmiter suadentes, quod si primævos hosce motuum imperus, & molestiarum insultus, generosè despiciere, & constanter sustinere assueverint, mira tandem animi tranquillitas, imò quoque non exigua voluptas, tot anxietatibus sint aliquando successuræ; Nempè quoniam, per referata, iterato labore, vasorum ostiola, & idcirco patentes introitus, per ampliatas semitas, viasque regias veluti factas, simul, & ob roboratos staminum motricium elatere, studia spirituosæ liberum ingressum nacta, absque ullo impetu moderatè fluunt, & æquabiliter eunt, redeuntq; fibras vibrationibus assuefactas, leniter, & jucundè movent; undè nil mirum litteratos & eruditos, post consumptam in studiis juventutem, ubi maturam ætatem adepti sunt, iisdem studiis tantopere delect-

tari, ut musæa sua lubentius, quam cæteri cauponas, & lupanaria frequentent.

Sed iterum atque iterum regerentes, audire mihi videor qualibet hactenus adducta, rationum & experimentorum momenta, parvi prorsus habenda, si certâ, & heû nimis frequenti constet observatione, magnam partem eorum, qui scientiis colendis operam navant, ex earumdem assiduâ culturâ multas, nec spernendas ægritudines contrahere, & esse brevioris ævi, utcumque sobrietatis legibus obsequantur, & utantur alimentis optimæ notæ, sic ut eorum permulti, faciem habeant macie simul, & pallore deformem, capitis dolore, vel gravedine persæpè confligentur, vigiliis excrucientur: vertigine, & uti vulgò loquuntur, vaporibus non infrequenter corripiantur, iisdemque visus ante senectam hebescat, tin-

niant aures , & importuno susurro molestantur ; os , & nares humore perpetuo madeant , foedaque sputorum eveniant ejectiones , fauces , pulmones , & pectus , acerbâ tussi , metuendisq; catharris obsideantur & concutiantur , stomachus autem ingesta malè digerat , undè nausæ , flatus , cibi fastidia , vomitus , alvi tetra proluvies , & sæpiùs adstrictio , demùm & antequam ad ætatem provectam pervenerint , totis , ut ita dicam , artibus contremiscunt , aut saltem non mediocriter infirmantur , & ad generationem inepti prorsus evadunt ; Unde fit ut ferè semper inquieti sint , morosi , meticulosi , tristes , iracundi , perindeque non levis de causis , morbos , & mortem reformident , nec ideò mirùm studiosos , labores , & studia ex quibus tot malorum genera sobolescunt , averfari , & eadem velut ægritudi-

num, fatigue præmaturi causas respicere.

Verùm utcumque non diffiteamur, A. O. litteratorum, & eruditorum gentem, jam recensitis, aliisque brevitate causâ prætermiſſis incommodis patere, & obnoxiam esse, ea tamen qualiacumque sint, non tam studio, & labori, quàm perversis laborandi, studendi, vivendique rationibus esse tribuenda contendimus, cum præprimis advertendum sit, id quod nemini vestrum, Auditores, non licuit observare, litteratos, & eruditos ferè semper cum mortuis, (uti vulgò loquuntur,) rarò cum viventibus dies, menses, annos, & ævum omne transigere, seu, ut apertius loquar, silentibus, mutis, inanimatis authorum monumentis, verbo libris iterum, atque iterum volvendis, legendisque; quodque probè notandum, omnibus partibus quies-

centibus, seu immotis inhæerere; ita ut inter legendum, larvis, aut staturis arte factis, vel stipitibus potiùs, quàm hominibus similes videantur, in hoc etenim absolvendo lectionis munere, cervix, brachia, manus, crura, pedes, lumbi, cuncta deniq: voluntarii motus, & sensationum organa feriantur, si visum exceperitis, uni eidemque objecto, huicque prorsùs inanimi constanter intentum, in quo quidem corporis statu, necessum est omnium partium memoratorum vires, & elateres immota detineri, laxari, concidere, & idcirco, liquida, quæ in vasis continentur, circulationis orbem admodum lentè percurrere, magnam perinde eorundem fluidorum partem, in finibus majorum canalium hæerere, eâque tandem copiâ cumulari, ut gravent, distendant, comprimant, stimulent, & consequenter tensivi, gravantes, pungentesq:

pungentesque dolores, aut molestæ sensationes, anxietatis nomine designatæ, superveniant; adde quod deficiente vasorum, & fibrarum motricium elatere, seu pulsu repulsuque prædictorum liquidorum, particulae quoad magnam partem maneat indigestæ, hinc iterum gravedines, obstructions, distensiones, irritationes, hinc deniquè progerminant malorum ilias, quorum enumerationi vix longior oratio sit suffectura.

Nec multò difficiliùs, ex iisdem ortus ægritudinis imaginariæ deducetur, cum ubi ratione motus fluidorum, & solidorum deficientis, nascitur in animis legentium anxietas, subindeq; non cunctanter invadunt morositas, & tristitia, illicò morborum, & mortis ideæ suboriantur, & perseverent, donec continuatâ formidandarum idearum serie, & propter ignoratas naturæ leges, seu anxietatum causas,

se totos ægritudinibus circumseptos, mortique vicinos, absurdè credant; perindeque lectioni, studio, meditationi, valedicant; & ex adversò, sine modo voluptatibus indulgeant, aut turpi se tradant otio, vel queribundâ voce Medicorum opem implorent.

Dies priùs abeat, aut me vox in dicendo priùs deficiat, quàm omnia malorum genera, quæ ex hoc inertis corporis situ, quem assidua lectio desiderat, oriuntur recensere valeam: nec mirùm si præter causam infirmitatum hæctenùs assignatam, alia nec minus potens, nec fœcunda minus, legentium angores, ut plurimum subsequatur, bacchi, veneris, ingluviei, cupiditatem, & usum immoderata dubiò procul intelligimus, quibus nimirùm pars major Studiosorum abripi se patitur, ut molestias ex studio subnascentes abigat, aut demulceat. Mens etenim hisce molestiis, & anxietatibus

inter legendam exasperata, morborum, & mortis capta formidine, remedia iis compescendis paria, spontè, & avidè quærit, cum autem propriis, sicut & aliorum experimentis, jam sit edocta, nihil ad curas, sollicitudines, & timorem amovenda- seu ad animos laxandos, & exhilarandos potentiùs, & efficacius esse baccho, venere, commestationibus, idcirco se totam ingluvieri, & libidini tradit, nec nisi satiata, crapulâ gravis, aut immodicis accensâ fervoribus, ab epulis, ludoque venereo recedit; undè nova malorum lærna, majoraque ad labores iterandos impedimenta, verbò novæ, tum imaginariæ, tum legitimæ ægritudinis causæ sobolescunt, quarum quidem agendi modis exponendis superfedere juvat, ne patientiam vestram, & benignitatem in audiendo fatigem, tantoque lubentius, quod eadem ex prægressis sine summo negotio possint erui.

Sed, & ibi non levem meretur animadversionem, perversam scientias legendo comparandi rationem, non solum ægritudines veras, & imaginarias accerere, sed & doctrinarum acquisitioni plurimum obesse, quoniam dum legimus assiduò, rerum cognoscendarum ideæ, levia prorsus in animis, citoq; delenda, sui relinquunt vestigia, ita ut, eâdem quâ leguntur facilitate, è memoria penetralibus clabantur, idque non aliam ob causam, quam quod rapidius, quam par sit, & absque ullo meditationis, aut observationis studio leguntur, tum & ob defectum corporei motus, non modo respectu nostri, sed ex parte objecti, cui inhæremus, perindeque nil mirum, si fibræ cerebri levissimè percellantur, verbò, plura sese offerunt inter legendum, quam ut iis digerendis, & retinendis animus par esse possit; ut hæc in parte meus cum

helliouum stomacho non ineptè conferri possit.

Quemadmodum enim stomachus eorum, qui copiosè voraciter, & affatim, omnis generis cibos deglutiunt, eosdem coquere nequeunt, imò potius iis gravantur, opprimuntur, & debilitantur, sic & animus, copiâ, varietate, multitudine rerum lectarum impletur, & oneratur; ita ut eadem examini maturo subicere, seu ad stateram iudicii ponderare minimè possit.

Idem esto iudicium, de Studiosis, tempus in scribendo consumentibus, cum ea, quæ cursim chartis exarantur, levissimè prorsus animis scribentium inhæreant; ut cumque diuturnius paulò temporis spatium, scriptio quàm lectio desideret, illud tamen insufficiens est, ad flectendas, vibrandasq; cerebri fibras, eò quò par est modo, ut motionum, seu idæarum

rum excitatarum vestigia remaneant ,
 & ut percipiendi, judicandique facultates ,
 quarum ope firmatur memoria, possint exerceri ; tantòque minus quò
 plura scribuntur ; Unde patet , quantum
 aberrant à verâ scientiæ semitâ ii, qui quò
 plures paginas impleverint , & codices
 exararint , eò plura se scire reputant ,
 seu fœcundiori doctrinâ se munitos
 jactant , ita fanè , non in mente , sed
 in codice.

Absit interim , ut quisquam ex præfatis
 inferat , nos omne legendi, scribendique
 munus penitùs proscribere , nec etenim
 præclara virorum doctrina insignium ,
 opera in lucem edita , nec egregia Patrum
 Academicorum documenta , verbò quælibet
 ab artis peritis hætenus observata fuerunt ,
 & adhucdùm observantur , scire , dignoscere ,
 imò nec interdùm legitimam observandi ,
 dicendique methodum studiosi callere possent ,

nisi sedulam lectioni, & scriptioni
 navarent operam; Verùm, hæc, &
 omnia quælibet huc usque tradita,
 vel quæ tradentur impostero sciencia
 præcepta, numquam insculpentur
 animo memori, nisi vos ipsimet, ô
 Alumni, operi manum admoveatis,
 & eandem quàm prælaudati sciencia
 proceres tenuere viam, constanter se-
 quamini, studium observationis in-
 telligo, cui colendo, totis, ut ita di-
 cam, viribus incumbendum est, ut
 desideratos in arte progressus facere,
 & ægritudines non tantum legitimas,
 sed & imaginarias effugere liceat,
 quarum utilitatum ex observationis
 studio manantium, rationes, hic
 paucis aperire juvat, ut promissos,
 & speratos ex hâc oratione fructus col-
 ligere valeatis.

Ergò quantum assiduus, & indefef-
 sus, scribendi, legendique labor, men-
 tis, & corporis sanitatem, ut audi-

vistis infirmat, & labefactat, tantum observationis studium eandem roborat, & servat illibatam, quod ut planum fiat, attendatis, quæso, tantisper. A. O. in hâc observandi curâ, varias corporis partes, & omnia sensationum organa, successivè vividèq; moveri, & exerceri, proindeq; fibræ cerebri vegetiùs, & potentiùs, percipi debent; undè fit ut ea, quæ percipiuntur observationis ope, multò profundius meditullio mentis insigantur, & indelebilia sui cudant vestigia; hinc, qui per hanc observationum methodum, artis præcepta didicere, longè præcellunt iis, qui scientiam ex libris, aut scriptis hausserunt, eosque infinitis, ut ita dicam, parasangis superant; sic quilibet anatomem, cadavera secando, botanicem campos, & hortos peragrando, pharmaciâ, examinando, miscendo, parandoque medicamina, chymiam,

furnis assistendo, chirurgiam, operando, demum & medendi methodum, ægros invisendo, scire nituntur, ii inquam harum scientiarum, & artium documenta, mentibus altè sic habent infixæ, ut eorum numquam obliviscantur, & partæ doctrinæ rationem, quâlibet horâ, quolibet instanti reddere parati sint; dùm ex adverso, cæteri qui tempus in scribendo, legendoque consumpsere, ubi privatim, aut publicè quædam studiorum specimina sunt edenda, iterum atque iterum libros, & codices consulere coguntur, ut rerum scriptarum, aut lectarum memoriam revocare possint, aut iis deficientibus præsiidiis, muti tanquam stipites hærent.

Constat igitur, tum ratione, tum exemplis, eos, qui scientiam per observationes student comparare, certam (quantum patiuntur mentis humanæ limites) stabilem, & numquam

ex animo delendam doctrinam acquirere. Nec minus constat, nec difficilius comprobatur, illud laboris genus, quod observatio desiderat summam ad sanitatem tuendam, & morbos imaginarios abigendos efficaciam habere, ita ut observator diligens, & assiduus, nusquam aut raro prorsus falsis morborum, & mortis opinionibus deludatur, vel alio quovis melancholiam genere laboret, & si sobrietatis leges servaverit, in veras ægrotudines numquam incidat, aut si fortassis in regimine victus modum excesserit, levioribus multo malis affligatur, quam ii qui lectioni, & scriptioni operam navant, iisdemque, majores ad resistendum vires possideat. Nec mirum, cum juxta superius statuta, sedulum observationis studium, corporis & sensuum, sicut & omnium animæ facultatum exercitium requirat. Cum inquam observare non li-

ceat, nisi corpus hûc, & illûc circum-
 feratur, inflectatur, & agatur diversi-
 modè, nisi sensationum organa, ni-
 mirùm tactûs, olfactûs, gustûs, au-
 ditûs & præsertim visûs multifariam
 exercentur, nisi pedûm & manûum
 adminiculo, quærantur, contrecten-
 tur, & adhibeantur remedia ad ob-
 servandum idonea, nisi magistri ob-
 servationibus edocti, & ad docendum
 instituti consulantur, interrogentur,
 audiantur, quæ quidem omnia, motus
 corporis multiplices & propemodum
 infinitos exigunt; ita ut studiosorum
 observantium proprium quodammo-
 do sit agere, moveri, & si fas sit ita
 loqui, vivere, ad discrimen eorum,
 qui scientiam ex libris, & scriptis
 hauriunt, qui propemodum immoti
 in unâ eâdemque sede permanent,
 qui vitam cum objectis mutis, &
 inanimatis, & ut vulgatis vocibus
 utar, cum mortuis transigunt, in

quibus idcirco solidorum omnium elateres feriantur, perindeque sanguis, spiritus, aliaque fluida passu, ut ita dicam, testudineo incedentia, angores mille, molestias infinitas, sicque morbos imaginarios, metum, tristitiam, aut veras, & metuendas ægritudines excitant.

Secus autem, propter assiduum diversumque corporis motum, observatoribus adeo familiarem, & ob indesinens sensuum omnium exercitium, fibrarum motricium elateres sic stimulantur, ut ea, quæ continentur in vasis circumjectis fluida, lymphæ, nimirum, sanguis, & spiritus, partium ubique liberrime fluant, vicibus alternis urgeantur in loca destinata, verbo circuitus suos constanter, & æquabiliter absque ullo peragant impedimento, unde totius, idest non modo corporis, sed & animæ sanitas, robur, & tranquillitas deducenda sunt.

Ex quibus, quantum observandi methodus sit salutaris, quam utilis, ad omnes infirmitates removendas, quam efficax ad ipsammet ægritudinis opinionem abigendam, nemo non intelliget, eorum qui principia superius statuta tantisper in mentem revocabunt, jugi videlicet assiduo, moderatoque partium voluntati subjecrarum, & consequenter fluidorum motu, juges pariter, assiduos, æquabiles, pacatos, & constantes corporis & animi motus, excitari, foveri, promoveri, & idcirco firmam, illæsam, & ad ultimum usque senium illibatam incolumitatem servari.

Sicque tandem munus impositum pro modulo mentis absolvimus, seu illud, quod hujus orationis initio nobis proposuimus elucidandum, probandumque, sat feliciter ad finem, quantum virium nostrarum tenuitas patiebatur, perduximus.

Quid mihi jam agendum superest,
 nisi ut vobis imprimis, Auditores
 omnium ordinum ornatissimi, spec-
 tatissimiq; gratias quam possum ma-
 ximas rependam, pro eâ, quâ me
 hæctenùs licet immerentem, & bal-
 burientem patientiâ & singulari pror-
 fus audiistis humanitate. Vos autem,
 ô Alumni Charissimi! in quorum
 gratiam hanc orationem concinnavi-
 mus, moneam, & deprecer, ut præ-
 laudatum observandi laborem, sani-
 tati corporis, & animi servandæ, &
 ad scientiam comparandam adeò u-
 tilem, totis ut ita dicam viribus am-
 plectamini. Ut ex adversò tædiosam,
 pravâ & summopere nocivâ scribendi,
 legendique consuetudinem ablegetis,
 aut saltem emendetis; Ut Patres A-
 cademicos, tot experimentis, seu ob-
 servationibus edoctos, eâ quâ decet
 attentione, & sedulitate audiatis, &
 ab eorundem prælectionibus, hausta

scientiæ documenta , tùm in codices
 referendo , tùm inter vos modestè
 concertando , privatimque meditan-
 do , animo memori commendetis ;
 Mox quo profundius mentibus ves-
 tris insculpantur , ipsimet operi ma-
 num admovete , eorundemque ve-
 ritatem , & certitudinem sensibus
 explore : sic etenim molestias , an-
 gores , & ægritudines ex labore sub-
 nascentes , vitare , despiciere , fœdam,
 & indignam magnanimis pectori-
 bus , malorum , & mortis formidi-
 nem procul amovere , firmam , (uti
 superius innuimus) veram , stabilem,
 & numquam ex animo delendam
 doctrinam vobis comparare , de-
 mùm & post emensum triennalis stu-
 dii cursum , Lauream Apollinarem
 cum dignitate , cum honore , conse-
 qui poteritis , eidemque post redi-
 tum in patriam viæ constanter in-
 hærendo , vobis , vestrisque Civibus

utiles , summoque nobis eritis or-
 namento , & ad supremum tandem,
 in arte , gradum pervenietis

DIXI.